



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.53. Manfredus se Papæ subjicit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.

A. C. 1254.

rent. Guilielmus per obtentam facultatem poterat etiam novas collectas imponere ac exigere; monetam novam cudere; privare bonis cunctos Friderici ac liberorum ejus fautores, ac cæteros, qui commoniti ad obsequium Ecclesiæ debitum non redirent; omnes fundos Coronæ proprios revocare; cunctas in prædia beneficiaria inductiones ac reliquas concessionis retexere; denique omnia rebellium deposita occupare. Tantam jurisdictionem 2 Sept. accepit.

§. LIII.

Manfredus se Papæ subjicit.

p. 769. **M**anfredus Conradini patruus cedente Marchione Bertoldo ejusdem tutor ac regni Gubernator factus, cum magnam Apuliæ Siciliæque partem propendere ad obedientiam Papæ præstandam cerneret, eum humaniter in regnum admittere quam expectare maluit, donec pervim intraret. Igitur edocuit Papam, se

p. 770.

paratum esse ad ipsum excipiendum: &

p. 771.

Innocentius Anagninæ 27 Sept. ad illum diploma dedit, quo eum in gratiam recipit, & ratum habet decretum, quo ei pater suus Fridericus Imperator principatum Tarentinum, & comitatus Gravinen-

Rayn. n. 57.

sem ac Ticaricanum tribuerat. Etiam vicarium suum in magna regni parte il-

lum

lum constituit. Ingresso proin Papæ Manfredus Ceperanum usque obviam factus, ejusdem equum usque ad pontem Liris freno ducebat. Papa Capuæ a vigesimo Octobris per tempus aliquod commoratus Neapolim petiit, ubi 3 Novembris erat.

Sæcul. XIII.

A.C. 1254.

n. 63.

n. 64.

§. LIV.

Contentio inter Universitatem Parisiensem ac Dominicanos.

Hæc civitas fuit, in qua celebres dabat litteras, quibus Religiosorum Mendicantium privilegia constringebat. Rei occasionem exponere decet. Anno 1252 Theologiæ Doctores eam tunc Parisiis tradentes sanxerant, ut in posterum nullus Religiosus, qui collegium non haberet, ad societatem ipsorum admitteretur, atque ut Doctorum multitudinem per codicem sacrum vetitam impedirent, volebant quodlibet Religiosorum collegium uno Doctore suum exercente munus, & unica schola contentum esse. Is vero, addunt, priusquam suo nomine doceat, tentabitur docens ut prima donatus laurea, seu baccalaureus sub alio Doctore. Quisquis honores proximos a Doctorum gradu adeptus, seu Licentiatus fuerit, ab eorum societate excludetur, nisi se huic

Dubon.
p. 245.

Fac. 3. I.